



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatus De Fiducia In Deum Plurimas Et Utilissimas pro
vitâ spirituali instructiones Continens, Præcipue Ad
Obtinendam magnam animæ quietem, & afflictiones
quascunque ingenti cum solatio & fructu ...**

Dusault, Nicolas

Coloniæ Agrippinæ, 1660

§. 2. Exemplum hujus promissionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50333)

tam: spera in Deo, confide Deo, totum te illi trade, te tuaque omnia illi committe, ipse prosperum atque optatum præstabit rebus tuis successum.

§. II.

Exemplum huiusmodi promissionis.

LEgi in vita R. P. Balthasar Alvarez, quod cum esset Rector inopis cuiusdam collegij, habebat Ministrum admodum sollicitum atque anxium de quotidianâ rerum domesticarum administratione, accidit aliquando gravis necessitas, cui provideri citò oportebat. Venit itaque Minister ille ad P. Balthasarem inops consilij, plenus sollicitudine, eique magno mœrore exposuit rei statum. At Pater miratus ejus anxietatem, rogavit, num prius quàm ad se accessisset, Deum consulisset, eique commendasset negotium. Vides Pater, respondit Minister, quàm multæ res urgeant, ita ut vix mihi spatium relinquât precandi. Abi itaque subjecit P. Balthasar remittens eum, & exequere quod præstandum est prius, & postquam rem totam diligenter Deo per preces commédaveris, revertere ad me. An putas gregi huic deesse Pastorem? Qui nos tanto pretio redemit, non permittet nos perire. Scias negotia domus non pendere

à nostra industria, sed ab ejus Providentiâ, facile est omnia pro voto nostro providere. Abijt Minister imperata facturus: reverens deinde ad Rectorem cognovit totum negotium expeditum modo inusitato, & ut videbatur, prorsus miraculoso. Vides Deum non minus liberalem esse in promittendo quam fidelem in præstando ea quæ promittuntur sperantibus in se. Suscipit in se curam rerum nostrarum, easque expedit sine labore & operâ nostrâ. Spera in Deo & ipse faciet: fili illi nihil hæsitans. Desiderijs tuis morem geret & vota complebit modo, quo tuum sperabas, & cum desperatum putares, videbis successum qualem optare poteris.

§. III.

Mens Authoris in hoc quarto libro,

Quando ergò in Deum fiducia tanta virtutis est, quid non debemus facere ut eam consequamur, & acquisitam quanto studio opus est ac diligentia, ut eam conservemus. Hos duos fines hoc quarto libro propono: habeo ut perficiam opus quod institui. Nam posteaquam ostendi per effectus, quos ipse producit, & per motiva quibus inducitur ad ejus amorem, quam præclara sit virtus hujus fiducia in Deum, superest ut adjiciam